



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema III. Quis Titulus Deo honorificentissimus? Dominica Eadem. In  
Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti Matth. 28. v. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



personam supplevit, unus pariter ac multus fuit, ac plus omnibus placuit. Ut placeamus & nos, dicat unusquisque nostrum corde potius quam ore: Ter optime maxime DEus, si possem te tantum amare, adorare, oblectare, quantum omnes Sancti simul sumti & Angeli te amant, imò quantum ulla creatura, aut omnes possibiles cum omni gratia tua quâ per totam omnipotentiam tuam illis dare posses, te possent amare, sic Te amarem. atque ut ostendam hanc voluntatem meam seriam esse, en omnibus quas nunc habeo viribus te amo & amare volo, ut declarem, quòd si plus possem, plus Te amarem.

Pro Emblemate Sol fit, quem innumeræ cingunt undique Stellæ:

*Sol unq, lumina mille.* Unū Solem respicimus, at mille luminib<sup>9</sup> respicimur, fovemur, recreamur. Unum respicimus, amamus adoramusque DEum, sed qui mille nos vicissim gratis ac favoribus respicit & reficit. Respiciant in te, ò Sol Clementiæ, oculi omnium, ut non tantum in gratiarum tuarum semper oculis vivamus, sed tanquam pupilla oculi tui adversus omnem Principis tenebrarum fallaciam custodiamur.



## PROBLEMA III.

Quis Titulus DEO honorificentissimus?

### DOMINICA EADEM.

*In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*

Matth. 28. v. 19.

§. I.  
Honorificorum titulorum a vidissimis sunt homines.



Quanto mortales studio in splendoribus ferantur titulos, nemo est, qui non videat, audiat, experiatur. Vix panem à rustico impetraveris, nisi Dominationis eū titulo dones; pauci de nobilibus sunt, qui per illustres imò illustrissimi non malint appellari, nobilibus se cives æquiparant, quin & de sorte Altissimi seu clero quot invenies, qui Re-

verendos se absque adverbio *Admodum* aut superlativo nuncupare sustineant? primum quod scribitur, legitur, atteritur, titulus est; primum quod appetitur, quæritur, procuratur, titulus est; primum quod adolescentem in palæstra literaria excitat, militem in campo martio animat, palatinum in aula & curia conciliat, titulus est. proceessit eò usque infana Principum nonnullorum cupiditas, ut ab astris & astrorum principibus suos sibi titulos mentirentur.



Constantino Magno scribens Perfarum Rex Sapor, hunc sibi mentitus est titulum: Sapor particeps fiderum, Frater Solis & Lunæ Constantino salutem plurimam. major longè infania Regis Bisnagensis qui teste Jarrico tomo I. rerum ind. Salutabatur: Sponsus bonæ sortis, magnarum Provinciarum DEus, Regum potentissimorum Rex, omnium equitantium Dominus, Magister & Doctor loqui nescientium, trium Imperatorum imperator, omnium quæ videt conquifitor, conquifitorum confervator, quem octo mundi partes metuunt, eques cui nemo par, & fortiffimorum quorumque debellator, Elephantorum venator, Dominus Orientis, auftri, feptentrionis, occidentis & maris. Soldanus teste Drexelio prodr. c. I. §. I. epiftolæ præmiffit hunc laudum Syllabum: Salamander omnipotens ante Carthaginem, Dominus Jordanis, Dominus orientis, Dominus Bethleem, Dominus paradifi, Præfeftus inferni, maximus Imperator Constantinopoleos, Dominus ficus aridæ, Dominus quæ Sol & luna meant, protector primi Sacerdotis Joannis, Imperator Rex Regum, Dominus Christianorum, Judæorum, Turcarum, Trapezuntinorum ac Constantinopolitanorum, & amicus Deorum. Solymanus verò: Carolo V. Imperatori femper Augusto Belgæ coævus Solyman, ex victrici nobiliffimæque Ottomannorum profapia ortus, Imperator Turcarum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Imperator Trapezuntinorum ac Constantinopolitanorum, Dominator mundi & terræ domitor. En quantus titulorum ambitus, Zelus quantus! & non Zelemus nos potius pro honorificentiffimo immortalis Dei noftrituulo scrutando proferendóque? omnes de honore fuo sunt

foliciti, ait Divus Gregorius, de honore & titulo DEi nemo, quod nè fæpius exprobrari poffit, folicitus ero hodie de honorificentiffimo DEi titulo, ut fit, qui pro honore Zelotis DEi Zelet non nemo.

Primum DEo titulum ab immenfitate depromptum Ancilla Agar fupremo Domino contulit, & *videntem ac viventem* appellavit Gen. 16. v. 14. ipfe DEus nomen Entis fibi affumfit Exod. 3. v. 13. *ego fum qui fum, hoc nomen mihi eft in æternum.* Exod. 6. v. 3. Dominum fe appellat: *nomen meum Adonai*; ab omnipotentia derivat titulum Exod. 15. v. 3. *omnipotens nomen ejus*, à Zelo verò Exodi 34. v. 14. *Dominus Zelotes nomen ejus.* Decem præcipua DEi nomina enumerat Divus Hieronymus, quæ vernacula fermè fonant, *Elfortem, Elobim* providum, gubernatorem, judicem, vindicem, *Sabaoth* exercituum imperatorem, *Elion* excelsum, *Adonai* Dominum, *Saddai* munificum, omnipotentem, ens entium feu *Jehova*. Ex his aliisque quodnam DEO acceptiffimum, honorificentiffimumque nomen fit, controvertunt Theodidacti, ego pace omnium, quæftionem hanc facti efle pronuntio, illumque fpeciofiffimum divinitatis cenfeo titulum, quem fupremæ intelligentiæ concinunt finè fine dicentes: *Sanctus! Sanctus! Sanctus!* cur non immenfum potius aut æternum, vel omnipotentem, aut providum, omnifciumve potius, quam Sanctum proclamant? quia optimè nõrunt titulum Sanctitatis efle omnibus præcellentiore.

Divum Dionyfium appello, qui de divin. nom. c. 12. Sic loquitur: *DEUS per excellentem cuncta excellentiam Sanctus Sanctorum prædicatur.* Hunc titulum acceptat DEus pro fupremo, ut observat Sanctus Ambrofius lib. 6. de

§. 2.  
Varii tituli & nomina DEi.

§. 3.  
Titulus Sanctitatis eft acceptiffimus DEO.



de Spiritu S. c. 18. nos quoque nihil pretiosus invenimus, quo DEUM prædicare possimus, nisi ut Sanctum appellemus, quodlibet aliud inferius est DEO, inferius est Domino. Doctissimè Douterman in Amore creato pag. 364. licet perfectiones omnes in DEO admirandæ sint, & infinitæ, nihilominus finè sanctitate (si hæc separari ab iis posset) non æstimandas tanti, quanti sola sanctitas; ideo & supremi Spiritus finè sine acclamant: Sanctus! Sanctus! Sanctus! quia in DEO nihil æquè venerantur & mirantur, quàm sanctitatem, non omnipotentiam, non sapientiam, non misericordiam, sciunt enim hunc titulum Deo charissimum. Titulus sanctitatis præfertur ab ipsomet DEO titulo Potestatis, hunc enim habet in extremis vestimenti sacerdotalis partibus, illum ferri vult in fronte Apocalypseos 19. v. 16. *habet in vestimento & in femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium.* at verò Exod. 28. v. 36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere Cœlatoris Sanctum Domino, & erit super tiaram imminens fronti pontificis;* imò pontifex habito hoc titulo sanctitatis abjiciebat quodammodo omnes thesauros humanæ sapientiæ expressæ per tintinnabula aurea, & omnes coronas humanæ gloriæ ac potestatis per malogranata adumbratæ. nimirum *magnificasti super omne nomen Sanctum tuum, non nomen potens, nomen nobile, nomen excelsum, sed Sanctum.*

Nihil prius orandum Christus docuit, quàm: *Sanctificetur nomen tuum* Matth. 6. v. 9. hoc est, cognoscatur sanctitas tua, hæc enim prima est benedictio nostra si sanctitatem divini Nominis bene apprehendamus. *& hoc benedictionis vice fungitur,* inquit Tertullianus lib. de

Orat. c. 3. tunc maximè Deum benedicimus, quando Sanctum appellamus. Ingenioso affectu scripsit Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogicâ, theologiam aliam Angelos nec scire velle, nec tradere hominibus, quàm quæ sit de Sanctitate divina, tanquam utilissimam simul & jucundissimam: *propterea traditam nobis hanc Seraphicam theologiam Sanctus! Sanctus! Sanctus! recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supra mundana militia communicemus, per hujusmodi hymnos nos Sanctificantes.*

Archangelus Gabriel divinitatem Spiritus Sancti simul & nascituri Filii DEI alio ex nomine melius indicare non potuit, quàm ex Sanctitate: *Spiritus Sanctus super-veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi* Luc. 1. nunquam amor ille increatus omnigenæ sanctitatis author Spiritus in divinis literis Sancti nomen accepit, donec divinitatis excellentiam in admirando incarnationis opere manifestavit dictus antea est *Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & fortitudinis,* sed non Spiritus Sanctus. notavit id Rupertus in c. 1. Matth. *maximè ex hoc opere, quod in MARIA operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod verè Sanctus sit,* puritatis amator & custos, ideo Sanctus. De Filio verò v. 35. addidit Archangelus: *Quod nascetur ex te SANCTUM, vocabitur Filius DEI.* ideo filius quia Sanctus, ideo DEUS, quia non simpliciter Sanctus, sed Sanctum, omnem videlicet in se continens Sanctitatem. audiamus Bernardum homil. 4. super Missus: *ut quid ita simpliciter Sanctum & absque addidamento dixit? credo quia non habuit, quod propriè dignèque nominaret illud eximium illud magnificum, illud Reverendum, quod de purissima Virginis carne cum sua anima Unico Patris erat unien-*  
*dum.*

S. 5.  
Filius Dei  
& Spiritus  
Sanctum  
Sanctum  
titulo  
Sancti  
cur Ange-  
lus conde-  
coret.

Psal. 137.  
v. 2.

S. 4.  
Cur prima  
petitio in  
Dominica  
oratione  
fit à Sancti-  
ficatione?



*dum. nominat prius Sanctum quam Filium, quia magnificentiorem Verbi titulum non habuit.*

§. 6.  
Agnoscunt  
ipsi dæmo-  
nes titu-  
lum San-  
ctitatis o-  
mnibus ali-  
is præcel-  
lere.

Ipsi dæmones cognomentum illustrius non habuere, quo honorarent Deum humanatum, quam Sancti titulum Marci i. Lucæ 4. *Quid nobis & tibi JESU Nazarene? venisti perdere nos, scimus qui sis, Sanctus Dei.* cur Sanctum potius quam Dominum, Regem, Judicem, omnipotentem nominant? respondet Euthymius, quia benevolunt sibi Christum reddere volebant, nè ex possesso corpore ejicerentur, ideoque supplici suo libello honorificentissimum titulum, adulantium more præfixere, nec alium repererunt quam *Sanctum*. Eiusdem opinionis est Sanctus Cyrillus Alexandrinus apud S. Thomam in catena aurea. *Putaverunt dæmones, quod per hujusmodi laudem, facerent ipsum inanis gloriæ amatorem, ut abstineret eorum contrarietate, utpote pro gratia gratiam compensans.* nota: inanis gloriæ amatorem, tanti est Sanctum esse, ut si in Deum cadere posset superbia, ex solo hoc titulo caderet, ut de excellentia Sanctitatis superbiret. Quod si juxta Maldonatum dæmones non fuere tam rudes, ut putaverint cadere posse superbiam in Christum, credidere nihilominus, hoc tam pulchro titulo eundem emolliendum, nè acerbius quidquam in eos stateret, quod & factum; impetrarunt enim gregem porcorum in quem ruerent. Nimirum omnia à Deo facile exorant, qui sanctitatis divinæ titulum interponunt. Est & illud observatu dignum, quod Dominus præconibus laudum suarum silentium indixerit, quia erant spiritus immundi, prædicatio autem sanctitatis non nisi à mundissimis Spiritibus nuncupanda est. in-  
finuat hanc causam Tertullianus

lib. 4. c. 8. contra Marcionem. *illius erat præconium immundi Spiritus respicere, cui Sancti abundabant.*

Quare nè dæmonibus deteriores simus, imò ut supremis Spiritibus suppare simus, sapissimè trifragium repetamus, & affectu quam possumus ardentissimo ingememus: *Sanctus! Sanctus! Sanctus! Dominus DEUS Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ.* Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus, semel & ter Sanctus. Sanctus ante tempus, Sanctus in tempore, Sanctus post elapsam mundi tempus in secutura felicitate, & æternitate! Sanctus in seipso, Sanctus in omnibus naturæ, gratiæ, gloriæ operibus, Sanctus in omnibus permissionibus suis! Sanctus in cælo glorificans electos, Sanctus in terra justificans impios, Sanctus in inferno puniens damnatos! Sanctus in creatione, Sanctus in Redemtionem, Sanctus in mortaliū vocatione! Sanctus in beneficiis, quæ confert, Sanctus in suppliciis, quæ infert, Sanctus in donis & bonis, quæ affert! Sanctus in Sanctis, Sanctus in reprobis, Sanctus in omnibus inanimis irrationalibusque creaturis!

§. 7.  
Affectus  
erga Deum  
Sanctum.

Nec ore tantum sed & opere DEUM Sanctum prædicemus, sanctâ videlicet & inculpatâ conversatione domum, urbem, regionem, orbem totum quodammodo sanctificantes, accurantésque, ut primum nostrum desiderium studiumque sit majoris acquirendæ sanctitatis. Primi Christicolæ passim Sancti vocabantur unde Paulus Romanis scribens, hunc iisdem attribuit titulum: *omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis* Rom. i. v. 17. quin & Propheta Evangelicus universaliter de Christianis locutus: *vocabunt eos: Populus Sanctus, redempti à Domino* Js. 62. nomen sanctitatis videtur duo importare  
ait

§. 8.  
Opere &  
conversa-  
tione Deū  
Sanctifica-  
mus exem-  
plo pri-  
morum  
Christia-  
norum.



S. Thom.  
2. 2. q.  
81. a. 8.

ait Doctor Angelicus, uno quidem modo munditiam, ut intelligatur Sanctus quasi sanguine tinctus, eò quòd antiquitus illi, qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur. græcè Hagios, hoc est, sinè terra. Alio modo importat firmitatem; Sancta dicuntur, quæ legibus sancita, ut violari non debeant. Si ergò integritatè scelerisque puri & in observandis Dei ac Ecclesiæ sanctionibus fuerimus firmi, sanctitatis titulo non carebimus.

§. 9.  
Sanctum Sancto-  
rum cur  
mero ve-  
stiri auro  
deberit.

Locus Sanctissimus in veteri lege dictus est *Sanctum Sanctorum*, de quo 2. paral. c. 3. v. 8. *laminis aureis texit eam.* (domum Sancti Sanctorum) *quasi talentis sexcentis*, faciunt septem milliones & quingenta millia aureorum; *sed & claros fecit aureos, ita ut singuli clavisiclos quinquagenos appenderent*, sunt ducenti quinquaginta coronati, vasa omnia ex purissimo auro, decem millia mensarum, totidem candelabra, thuribulorum viginti millia, craterum sexaginta millia, phialarum centum millia, ex purissimo auro omnia. Summa vasorum quæ vidit Josephus, quadringenta quadraginta millia; cur ex auro omnia? quia aurum Sanctitatis Symbolum est teste Magno Gregorio lib. 34. c. 13. in Job. *auri nomine Charitas intimatur & splendor Sanctitatis. Si vis honorare Sacrificium*, inquit homil. 60. ad pop. *os aureum, animam offer, hanc fac auream, si verò plumbea manet, quid utilitatis?* triclinium Justiniani totum fuit aureum. Cor nostrum totum sit charitate aureum eo potissimum tempore, quo Sanctus Sanctorum per Sacratissimi Sacramenti sumtionem ingressurus est.

§. 10.  
Absq; San-  
ctitate ni-  
hil valent  
virtutes &  
dotes cæ-  
tera.

Zelat præ cæteris titulis Deus principaliter pro titulo Sanctitatis, Zelemus & nos, & sicut in Deo nullum prædicatum valeret absente

Sanctitate, ita & apud nos statuamus, sapientiam non prodesse, fortitudinem non valere, pulchritudinem non ornare, gratias alias nullas esse, si una absit Sanctitas. Sanctitas est decima illa drachma quâ deperditâ ceteræ novem, dotes inquam aliæ, non æstimantur, ita verba Salvatoris Luc. 15. *mulier habens drachmas decem, si perdidit unam, nonne accendit lucernam*, interpretatur Sanctus Gregorius Nyssenus in-  
quiens: *etsi omnes adsint virtutum facultates, una tamen remota sit Sanctitas ab animo illo viduo, nulla existit utilitas.* Libro octavo Constitutionum Apostolicarum apud Anastasium Sinaitam quæst. 18. dixere Apostoli: *neq; quicumque prophetat, est pius, neque quicumque ejicit demones, est Sanctus, nam & Balaam Vates prophetavit, & Saul & Caiphas; multa autem dicit diabolus & Jesus demones & non propterea sunt participes vel scintille pietatis.* Canticorum s. v. 2. clamat Sponsus: *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* cur vocat amicam, postquam nominavit sororem? respondeo cum Luca Abbate, quia omnes humanæ creaturæ sunt sorores, circumferunt eandem carnem, quâ DEI Filius indutus est, sed non omnes sunt amicæ, quia Sanctitate non sunt præditæ. Psalmi decimi septimi titulus est: *in finem puero Domini David.* notat Evthymius, quòd se David non Regem, non bellatorem, non prophetam vocet, sed *puer Domini* audire malit, puerum enim Domini esse significat Sanctum esse, & hic est titulorum titulus supremus. Proverbiorum 30. v. 29. dixit Regum Sapientissimus: *tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum quòd incedit feliciter: Leo, gallus, Aries & qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime.* Argutè Salonius Vi-

S. Grego-  
rius Nyss.  
de Virg.  
c. 12.

C

ennen-



ennensis quærit distinctionem inter bene & feliciter, respondetque: quia omne quod feliciter incedit, non semper bene incedit. illa bene incedunt, quæ ambulant sanctè & justè; illa incedunt feliciter, quæ in hac vita habent prosperitatem suam. per leonem, gallum, arietem intelliguntur Viri illi Sancti, qui pugnant, vigilant, mortificantur; stultus est, qui habet omnia ad votum, & hic graditur feliciter, non bene, non justè, non Sanctè. Secundo Regum c. 23. celebrantur fortissimi Duces, qui Davidis ævo floruerunt, quos inter Joab non censetur. Rupertus curiosè: quare Joab nec inter tres, nec inter triginta fortes numeratus est? videlicet, quia non vires corporis, sed virtutes animi spectantur in fortibus David. Abnerum proditoriè occidit, Amasam nequiter interemit, fortitudinem bellicam & felicitatem temporaneam sanctitati & beatitati æternæ præposuit, ideo inter fortes Davidis sive dilectos & electos numerari nequaquam meruit. Ut inter

fortes Davidis & electos simus, illud nobis quàm frequentissimè dictum putemus: *sancti estote quia ego Sanctus sum.*

Levit. 19.  
v. 2.

Coronemus Problema hodiernum sacrosancto quod Isaias & Joannes viderunt Emblemate, cum Seraphini ante Majestatis thronum consisterent, & trifagium sine fine alternarent: SANCTUS SANCTUS SANCTUS, ex quo trifagio duas duntaxat accipio literas s & t, & canentibus in cælo Seraphinis geniolos humanæ naturæ affocio, qui imposito labellis digito, solum silentii signum proferunt: *St!* Nimirum ab humana infantia *Tibi DEus laus silentium.* nam præ admiratione & æstimatione tantæ S A N C T I T A T I S nobis siluisse sat est.



PRO-